e-codices

dii sui fructu. nec intellexerunt infelices mysterium. nec uenerati sunt
tam clementem pietatis affectum. quod tamen hostes suos non passus est uulnera
ri. Illi iusto mortem inferebant. persecutorum uulnera iste sanabat.

Petrus uero sequebatur. Ubi petrus negat tercio. Lxxxxvi.
alonge. Et bene alonge sequebatur. iam proximus negatu
ro. Neque enim potuisset negare si xpo proximus adhesisset.
Sed fortasse et in hoc nobis maxima sit admiratione reue
rendus. quod dominum non reliquit tamen cum timeret. Metus naturae est. cura pietatis.
Alienum quod timet. suum quod non fugit. Quod sequitur deuotionis. quod negat
obreptionis. Commune quod labitur. fidei quod penitet. Iam in domo princi
pis sacerdotum ignis ar[illegible]debat. Accessit petrus ut calefaceret
se. quia clauso domino calor mentis tamen in ipso refrixerat. Quid sibi uult quod pri
ma eum prodit ancilla. cum uiri utique magis eum potuerint recogno
scere. nisi ut et iste sexus peccasse in necem domini uideretur. ut et iste sexus
redimeretur per domini passionem. Et ideo mulier resurrectionis accepit
primam mysterium. et mandata custodit. ut et ueterem preuaricationis
aboleret errorem. Petrus ergo proditus negat. Ponamus enim negasse petrum.
quia dixit dominus. ter me negabis. Et malo negasse petrum. quam dominum fefel
lisse. Quid negauit. Quod promisit incaute. Deuotionem considerauit. non respexit
conditionem. multatus quia dixit se animam ponere. quod non humanae infirmi
tatis sed diuinae est potestatis. Cum tam grauem imprudentis sermonis mul
tam luerit. quanta est poena perfidiae. Ubi tamen negat petrus. Non in mon
te. non in templo. non in sua domo. sed in pretorio iudeorum. in domo principis.
sacerdotum. Ibi negat. ubi ueritas non est. Ibi negat. ubi xpc captus.
ubi iuncte ligatus est. Quomodo enim non erraret. quem intromisit hostiaria. et
interrogauit hostiaria. et hostiaria iudeorum. Male eua induxit adam.
male petrum introduxit femina. Sed ille in paradyso labitur ubi non ueni
abilis culpa. hic in pretorio iudeorum ubi difficilis innocentia. Illi in
tradictus lapsus. huic predictus error. Ille commissus huic preiudicauit.
hic illum resoluit. Consideremus tamen quo in statu neget. Frigus inquit e

Licenza: CC-BY-NC – Einsiedeln, Stiftsbibliothek, Codex 166(413), p. 311 – Ambrosius ‹Mediolanensis›, Expositio Evangelii secundum Lucam (http://www.e-codices.ch/it/sbe/0166/311)